

tifex ex potestate ordinaria ordinata, et canonibus conformi; an ex potestate absoluta, et ex ejus plenitudine, quæ libera est a lege positiva. Et respondemus cum abate Panormitano supra citato in thesi singularis decisionis, eum non ex priori, sed ex hac absoluta potestate operari. Et ratio est, quia secundum leges positivas penes collegium, aut immediatum superiorem deberet esse electio: ergo si lex ista a principe non servatur, opus est, ut id fiat per potestatem, quæ est supra legem positivam, cui princeps alligatus non est: ergo per potestatem absolutam, et liberam a lege. Et hæc est potestatis plenitudo, ex qua si operetur pontifex, non solum desolata monasteria, sed et habitata poterit ad alios transferre, si urgens aliqua causa id postulaverit.

XX. At iterum tergiversantur monasteria, seu collegia, aut loca de quibus in controversia præsenti agitantur, non vacantia dici debere, sed extincta utpote deficientibus omnibus membris ex quibus componebantur, et in tali casu non est opus ad plenitudinem potestatis, et ad absolutum tribunal recurrere, sed juxta ipsam potestatem ordinariam extincto illo jure collegii devolutio fit ad pontificem, vel principem, ut cui voluerit, tradat. Cæterum extinctio hæc plurima extinguere vult lumina dum suæ intentionis caligini immergitur. Etenim licet personæ illæ, quæ individualiter et ut ita dicam, materialiter hababant, et componebant collegium illud, seu conventum, vel violenter expulsæ, vel morte sint extinctæ, tamen jus quod personæ similis professionis, vel ordinis ad talem restitutionem habent, et ex ipsa suorum fundatorum voluntate acquisitum est, qua voluerunt talis qualitatis, aut professionis hominibus locum illum tradere, extinctum

nullo modo est, sed ut verba repeatam venerabilis Petri Cluniacensis supra relata: « Quid personis peccantibus sanctus ordo peccavit? Cur malis monachis secundum quosdam expulsis institutio expulsa est? » Si ergo expulsis immeritis, et delinquentibus, ordo non debuit expelli, sed in aliis subrogari; ergo in ipso ordine jus extinctum non fuit ad talem subrogationem: multo ergo minus potuit extingui ipsis non peccantibus, sed per vim expoliatis, aut per feritatem occisis.

XXI. Sed quid opus est ad jura provocare humana, et leges, textusque jam prolatos reproducere, cum etiam ipsis violenta morte raptos, atque conventibus suis spoliatos, et vivere, et monasteriis suis assistere prodigia superna demonstrant? Quomodo enim desolata monasteria possunt extincta nuncupari, in quibus toties intempesta nocte certis anni temporibus in hunc usque diem accendi luminaria, fulgere lampades, adornari altaria, cereos ardere, processiones a beatis illis manibus, seu animabus institui, chorum frequentari, et illustrissima luce, cantuque psalmodiae templa perfundi, complerique testes oculati, non Catholici tantum, sed etiam hæretici vigilantibus sensibus accepterint, et accipient? Certe S. Gregorius libro III dialogorum, capite XXI, memoriae prodidit duos monachos Longobardorum saevitia in unius arboris ramis suspensos ac mortuos, facto vespere, claris, apertisque vocibus psallere coepisse ita ut ipsi quoque, qui eos occiderant, cum voces psallentium audirent, nimium mirati terrorentur. Quod S. Gregorius signum fuisse, inquit, quod ii qui Deo servire student, post carnis mortem verius vivant. Quidam etiam sanctus monachus, nomine Basilius, ut narrat Metaphrastes, et ex ipso affert Rodericus tomo

primo exercitationum, tractatu vni, capite XXI, quadraginta continuis a morte diebus, quotidie ad vesperas veniebat, et cum aliis fratribus in choro canebat. Sed et Nicephorus lib. XIV historiæ, capite LI: « In templo, inquit, sancti Simeonis monachi ad laevum columnæ latus in uno cancellorum emicantem cernere est immensam quamdam stellam per fenestram discurrentem, et splendide coruscantem, et modo veluti cessantem, mox vero rursum de repente affulgentem. Id quod eis tantum diebus fit, quibus memoria sancti viri colitur, sunt etiam qui memoriae prodiderunt ipsius quoque Simeonis faciem illam hue atque illuc volitantem ad columnam videri, barba sicut eam gestaverat demissori, et capite tiara tecto. » Ita Nicephorus.

XXII. Sed et illud obstupescendum miraculum quod nostra fere memoria in Hibernia contigit, narratur in fasciculo ordinis Cisterciensis libro II, dist. XXXVII, cap. II. Cum enim quadraginta Cistercienses monachi per irruentes hæreticos in choro sui monasterii Ma-

giensis truncatis cervicibus victimæ pro Christi fide procumberent, a morte resurgentem, recollectis, et sibimet iterum positis capitibus ad subsellia consueta reversi, primas vesperas assumptionis Beatissimæ Virginis ad finem usque clara voce cecinerunt. Quid ad hæc dicemus? An oblitis antur sua, etsi destructæ monasteria beatæ animæ, et luminosi e cœlo ad suas cellas, et pauperula tuguria visitanda, delapsi. Hi nimirum sunt custodes positi super muros Hierusalem tota die, et tota nocte in perpetuum non tacentes, hæc est jubilatio quam ne post mortem quidem omnino dimittere possunt perfectorum sacerdotum, et religiosorum animæ, quin etiam desolatas ecclesias, non solum protectione, et sollicitudine, sed et præsentia sua, hymnisque et psalmis, ac spiritualibus canticis nonnunquam invisunt, et laudant circa illa Deum astra ista matutina, jubilantque omnes filii Dei, ut benedicant stellæ cœli Dominum, laudent, et superexaltent eum in sæcula.

## QUÆSTIO QUINTA.

*Utrum in eligenda doctrinæ forma, statutum, jusque academiæ summe auctoritatis esse debeant?*

I. Felici forte, gravissimo isto, celeberrimoque certamini, ex sapientiæ munere, agonem instituimus, et doctrinæ materiam, illustrisque academiæ jura in obsequii gratulationisque occursum tota certatione destinamus. Ut enim faventi cœlo nil gratius rependere terra queat praeter versicolores gra-

tiarum apparatus, cum exhilarata præsentim natura, et in gaudio renascentis anni varie ludens enodata sinu virentia laxat viscera, variaque, ac multiplici gemmantium eruptione florum parturiens, totius in se osculantis cœli pulchritudinem terrestri quadam elegantia reþresentat; sic benigno huic sa-

pientiæ cœlo, huic (inquam) discipline ecclesiæ censuræ, quæ variis scintillantium siderum afflatibus, quasi de æternis veritatis montibus totius Ecclesiæ illuminat firmamentum, florentes refert terra nostra manipulos, quibus intextam sapientiæ coronam pleno circumdet orbe, et selecta doctrinæ forma, in totius maturitatis fœcunditatem erumpat. Ut quondam mystica illa sacerdotalis virga, uno simul partu lœta gemmulis, amœna frondibus, fructu gravis sacrum Aaronis consummavit honorem; sic sapientiæ partus in ipsa venustate florum, ubertate proventuum intumescit, et rosarum elegantia fructuum maturitate castigatur. Nec enim oscitanter ipsa de se clamitat Sapientia: *Flores mei fructus honoris et honestatis.* Nihil videlicet in sapientia floridum nihil vernans solo infructuosi viros lenocinio crispatur, sed vel ipsa pubescentis germinis tyrocinia graviori severitatis, auctoritatisque pondere incanescunt, et quod dignitatis, splendorisque deficit in discentibus ex tam præclaro magistrorum lumine, et plenissima gravitate compensatur, et teneriores isti sapientiæ nostræ flores immani frigoris rigentis, et oblatrantis inclemenciam turbine concussi aspirare possent, nisi vitali aura singularis humanitatis vestræ non afflandi solum, sed æterno vere extra omnem aleam, vel iniqui solis, vel invidentis austri fortunandi venirent. Ergo quod in arenam producimus, jura sapientiæ sunt, jura reverentiæ magistralis, in doctrinarum dispunctione, in eligenda forma disciplinæ, et veritate propinanda his, qui investigandæ sapientiæ dederunt nomen. Denique in statuenda, fundandaque academiæ dignitate, quæ in bene ordinata, dispositaque republica supremæ auctoritatis, inconcussique juris,

præsertim in his, quæ ad doctrinam pertinent, et disciplinæ rationem esse, reputarique oportet.

II. Loquitur ad nos sermo dominus in Ecclesiastico cap. viii: *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbiis eorum conversare; ab ipsis disces sapientiam, et doctrinam intellectus, et servire magnatis sine querela. Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt a patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum.* Quid hac lege perfectius, aut absolutius inveniri potest? Plena sunt omnia, et perfecta, ut a pleno, et perfecto. Ecce enim dives metalli vena nobis proponitur, argenti principia reserantur, et auri locus in quo conflatur apertus est. Denique sapientiæ pretium, quod testante Job, nescit homo, quæ abscondita est ab oculis omnium viventium, et volucres quoque cœli, quæ vario plumarum suarum circuitu, et sinuosa elevatione inanem ventorum flatum tota libertatis expansione diverberant, latere solet in sapientium presbyterorum narratione, in eorum proverbiis, in alligatione, et captivitate ad eorum dicta inveniri, asservarique conspicimus. Quid enim aliud presbyterorum sapientium enarrationem, a quibus discente debemus intellectum, et prudentiæ responsa, quam doctorum conventum aestimare possumus, ipsamque academiæ coronam, unde nobis doctrina omnis præsto est? Unde jura inveniendæ disciplinæ decernuntur, et ubi locus initiandæ, conservandæque sapientiæ invenitur. Quid pervicibus alis fugientem quærimus doctrinam, et tam variis opinionum anfractibus, tot inventiōnum nostrarum machinamentis, sapientiæ thesauros sine clave irrumimus, sine face tractamus? Non in nostra inventione fundamentum

veritatis est, sed in sapientium seniorum narratione, illis jus est præfigendæ doctrinæ, non nobis inveniendæ, et propalandæ: expectanda ab illis est, non a nobis renovanda. Denique sapientissimus legislator Moyses congregatis ad eum omnibus majoribus natu, atque doctoribus, quasi universitate quadam circumvallatus: *Audite, inquit, cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei, concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* Quam pulchre doctrinæ incrementa pluviae comparat, et fluenta eloquii rori de cœlo decidenti, quia videlicet non de nobis crescere debet doctrina, nec a nobis sapientiæ provehenda est magnitudo, sed a nubibus super expectanda, et eorum arbitrio suscipienda. Nec otiose dictum est concrescat, quia simul cum alio quasi fulcimento alieno nixa, non solo et proprio crescere debet voluntu doctrina, sed sapientium presbyterorum narratione, eorumque iure commendata, et dispuncta concrescere aestimanda est, non crescere. Pulchre Vincentius Lirinensis libro adversus hereses vere aureo, cap. xxviii et xxix: «Crescat, inquit, oportet, vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum, ac sæculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia, imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum processu numeros suos evolvant, et explicant, eadem tamen, quæ erant permanent. Quot parvolorum artus, tot virorum, et si qua illa sunt, quæ ævi maturioris ætate pariuntur, jam in se minus ratione proserta sunt, ut nihil novum postea proferatur in senibus, quod non in pueris jam antea latitaverit.» Sic Lirinensis.

III. Ergo adstringendæ, eligendæque certæ, ac determinatæ doctrinæ jura firma et rata sunt, in illis videlicet, qui seniorum narrationem continent, qui a patribus acceptunt quod tradiderent, ubi sapientium presbyterorum narratione academæ conventum format, cui interest, quæ vera sit sapientiæ semitas nobis proponere, electionemque doctrinæ propinare, qua solide, et fixe crescat in unitate sensus, uniformitatemque sententia, quod propriæ inventionis aura dilapsum inaniter subvolaret. Quam opportune sponsæ labia laudaturus sponsus: *Sicut vitta coccinea, inquit, labia tua, et eloquium tuum dulce.* Magno sane mysterio dulcedo eloquii non nisi a labiis, quæ coccinea vitta ligata sunt, scaturire potuit, nam labia sponsæ doctores esse quis abnuat, quis ignoret, quid autem dignitas eorum, quod jus, nisi ut vitta sint, quæ vinculo alliget audientem, constringatque doctrinæ formam sequi, et modestiæ captivari complexibus? Audite Ambrosium florido illo, gravique ingenii pondere sic disserentem octonario xv, supra Psalmum cxviii: «Dentes, et genas, et sicut coccineum resticum labia sponsæ, intelligimus animæ esse virtutes, doctorumque Diversitates, qui vel spiritalem menti alimoniam dispensatione sedula subministrant, vel prædicatione dominicæ crucis, sive verbi quadam linea alligent audientem, vel modestiæ verecundi, et juventutis flore gratissimi.» Ergo labia sponsæ non dulcedinem stillant libertatis, non vagum in docendo, an in periclitando sensum, sed dulcedinem eloquii a veritatis nexibus promanantem, a vitta coccinea arctante, determinanteque viam, cui audientem alligent, non quæ spatium tribuat evagandi. Eloquium a vitta coccinea derivatum suavitatem veritatis denotat, non libertatis. Veritas autem una est, quia in-

divisibilis veritas arcta est, et de difficultatis amaritudine, non defacilitate intelligentiae expressa in suavissimum olei nitorem, purissimum splendoris lumen aspirat. Pulchre Hieronymus, epistola XII Levitici legem moralizans: « In sacrificiis, inquit, Domini mei non offerunt, ceraque contempta, quæ mellis hospitium est, oleum accenditur in templo Dei, quod de amaritudine exprimitur olivarum. » Ut videlicet discamus lucem doctrinæ olei pasci suavitatem, non ceræ blanditiis deliniri, quia illa de amaritudine, et difficultate nascitur intelligentiae; ista de suavitate mellis affinitatem contrahit adulatio[n]is. Illud ergo eloquium dulce vocandum est; illa præferenda doctrinæ lux, quæ amaritudine nascitur, quæ difficultatem superat, non proclivitatet amat. Denique quæ de labiis vitta coccinea alligatis, et adstrictis, non de patulo, ac libero ore procedit, et hæc magna sponsæ laus est dulcedinem eloquii stricto labiorum vinculo suis audientibus instillare, doctrinamque ad unitatis nexum adstringere, non ad varietatem diffundere.

IV. Sed non uno tantum sacramento rem adeo necessariam Scriptura nobis commendat. Ecce illius tritor Ecclesiae pars, doctorum nempe, sapientiumque conventus, et schola, capillis Ecclesiae ipsius comparentur, dum in canticis Spiritus sanctus loquitur ad sponsam: *Capilli tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de Galaad.* Quo loco, teste Ambrosio supra, sapientium, doctorumque multitudinem designari, qui disputationibus suis occulta revelant, et proferunt, manifestum est: « Capillamentum tuum, inquit Ambrosius, sicut rex tonsarum, ideo capillamentum, quia virtus omnium sensuum in capite est, oculi enim sapientis in capite ejus. Pro-

funda igitur est doctorum prudenteria, quæ potest ea, qua obscura sunt, revelare, et alta aperire sensuum. Et hujusmodi disputationes crines Ecclesiae sunt, sicut pulli corvorum, quibus Dominus escam dat.» Sic Ambrosius. Vides ergo quo loco in Ecclesia sua voluit Deus esse doctores, et disputationes qui tractant verbum veritatis, qui disputationibus suis eruunt occulta, et abscondita sapientiae, et revelant profunda de tenebris, quo ministerii genere academias, universitatesque in Ecclesia futuras, Spiritus sanctus plane designare videtur, in quibus confluentum doctorum multitudine quasi pulcherrimum Ecclesiae capillamentum, profunda sua prudentia, alta sensuum aperire, et obscura revelare non cessant. His itaque supremum capitinis verticem pro loco tribuit, illis enim caput ornatur Ecclesiae, ut non leviter proinde significetur quantum auctoritatis, et juris in doctrinarum disputationibus, et traditione disciplinæ universitatibus tribuendum sit, quæ a supremo capitinis fastigio in universum Ecclesiae corpus arbitrium derivare possunt intelligentiae.

V. Et si meminerimus fortitudinem magni illius Nazarei in capillis fuisse diffusam, quibus abscissis totius corporis vigor emarcuit, ita ut a Philistheis captus oculorum lumine caligaret, non absurde fortitudinem Ecclesiae in bene disposita multitudine, congregationeque sapientium commendatam intelligimus, cuius si auctoritas abscindatur, totus disciplinæ vigor marcescat necesse est, sicut abscissis capillis Nazareus ille Samson totus elanguit. Nihil decoris absque capillamento humano capiti relinquitur. Nihil in republica pulchritudinis, si capita ejus, id est, doctores ejus auctoritate careant, si eorum de doctrina eligenda, de dispositione, formaque

instruendi disciplinam, negligantur censuræ. Egregie Nyssenus homilia XV in Cantica, eumdem versans locum, cum de sententia Pauli inquit: « Gloria mulieris sit coma, quippe quæ percincinnos caput exornet, docemur per hanc capillorum sponsæ prædicationem, debere illos, qui in capite sponsæ sunt, et per quos gloria Ecclesiae accedit, per sapientiam sensum occultare. » Habemus ergo Ecclesiae gloriam in comæ affluentia, nexusque capillorum expressam, sed id prorsus admonemur, ne sensum proprium, diffusamque vagabundilicentiam sequi velimus, sed sicut capilli absquesensu proprio crescent, sic doctrina, quæ est Ecclesiae gloria, non proprio, sed alieno sensu subsistit.

VI. Notavit pulchre Ambrosius libro VI hexameron, capite IX, ferre omnem pulchritudinis, ac speciositatis formam a capillorum ornamento derivari, et per variam ipsorum dispositionem componi: « Quam, inquit, speciosa, est cæsaries? Quam reverenda in senioribus? Quam veneranda in sacerdotibus? Quam terribilis in bellatoribus? Quam decora in adolescentibus? Quam compatta in mulieribus? Quam dulcis in pueris? » Ecce quot formas, varietatesque in ornamentum humani corporis, capillorum dispositio præbet. Quæ omnia juxta eamdem Ambrosii allegoriam ex doctorum sapientiumque universitatibus, toti Ecclesiae provenire, dubium non est. Si enim Ecclesiae crines disputationes sunt, et sapientes, omnem Ecclesiae formam, omne reipublicæ ministerium, et dispositionem ab illis, ornamentum, modumque accipere dubitandum non est. Inde reverentia sensum, qui in academiis nutriti senatorum amplissimum locum in republica obtinent: inde veneratio sacerdotum, qui ab scholis egressi, pastum, quem ovibus suis prestant

ab uberrimis istis pascuis messuerunt: inde terribilitas bellatorum, qui in communib[us] periculis a sapientium consilio fortitudinis suæ munimenta traxerunt. In cujus commendationem loquitur et Salomon in Ecclesiasten, cap. IX: *Civitas parva, et pauci in ea viri, venit contra illam rex magnus, et sallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio, inventusque est in ea vir pauper, et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.* Ecce quomodo cæsaries nostra, id est, capillamentum doctorum, etiam in bellatoribus terribilis apparet dum fortior sapientis viri dispositio omnibus magni bellatoris machinamentis prædicatur; ergo et id quod Salomon subdit, nostro adaptemus proposito: *Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, et verba ejus sunt audita?* Quod est dicere, si sapientia fortitudine præest, si tanto melior, et præstantior forti sapiens est, quanto caput manum præcellit, quomodo sapientium jura contemnuntur, fortium exaltantur. Quomodo sapienti affinis semper est pauperies, contemptus, oblivio? Fortitudini, divitiae, honor, amplitudoque defertur. Hac ergo sapientis, fortisque viri collatione, magnifice commendare nobis voluit Spiritus sanctus, quo loco in reipublicæ dispositione collocandum sit sapientium, et doctorum ministerium, et quo loco fortium virorum aestimanda sit gloria, ut videlicet illi quasi capilli verticem capitinis obtineant, unde omnibus ætatibus, omnibusque reipublicæ officiis, et ordinibus decor, et pulchritudo conferatur, atque ex scholis, studiisque litterarum quasi ex cæsarie, capillamentoque reipublicæ corporis, reddatur ipsa